EPISTOLA PRIMA R. P. N. VINCENTII CARRAFAE PRAEPOSITI GENERALIS

Patribus, ac Fratribus Socieatis Ieſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

POſtquam viſum eſt diuinæ bonitati, præter ſpem omnem ac meritum, imbecillitati meæ, tam ingens onus imponere, quanta eſt cura Societatis vniuerſæ, altè mihi video in arcanum iudiciorum Dei deſcendendum, & inueſtigandum cur ei placuerit præferri multis, quem omnibus titulis, poſt poni omnibus oportebat. Cuius conſilij nulla ſat mihi ratio arridet, niſi tantummodo hæc vna, *vt* nempe *oſtendat diuitias potentiæ ſuæ*, vocan- Rom. 4.
tis *quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt*, & ſummorum iuxta infimorumq. diſpares operas

Apoc. ras, æquali exitu manuque adhibentis. *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius puſilli, & magni* quem nec meritorum arctat inopia, nec tenent aliena adminicula ſuſpenſum, ſed *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. ego vocabo eos*, inquit, *& ſtabunt*. Stabit in gradu ſortiter imbecillus, egeni opibus affluent, obſcuros nobilitatis ſplendor inopinatus decorabit.

Iſai. 49.

Rationis huius certiſſima luce perfuſus animus, etſi alioqui per ſe ſe anguſtior, erumpat neceſſe, ac timiditatis propriæ limites prætergreſſus præpotentis Dei magnificentiæ ſe totum mancipet, tanto ſe in Deo maiorem agnoſcens, quanto ſibi ipſe deſpicabilior apparet; hinc ergo & ipſe ſaluberrima edoctus diſciplina, *& infirmitatis propriæ oblitus, introibo in potentias Domini*. de illius miſericordia *confiſus, qui non relinquit ſperantes in ſe*. & hac prima ad Societatem epiſtola vt incipiam officiorum partem exſoluere quæ facile video multa mihi magnaque incumbere *loquar* cum Apoſtolo *quinque verba in ſenſu meo* perſtrictis ſummatim capitibus quæ poſtrema Congregatio Generalis, perficiendæ Societati noſtræ magnis animis intenta, cordi ſibi eſſe indicauit; & quæ vehementiſſimè cupio efficacibus remedijs ad primigenium illius Spiritum, floremque reuocari. hunc vero ſpiritum & vigorem ab

Greg.

vno

vnoquoque conſeruari non modo ſuis integrum partibus & viuacem, ſed ita illibatum vt inſtituto noſtro congenitus ſanctæ coram Deo, atque hominibus innocentiæ noſtræ candor, nullo ſinatur vel incommodi metu, vel commodi ſtudio fuſcari.

Vt autem ex ijs initium ducam ex quibus ſanctus Bonauentura cenſet religioſi ordinis incolumitatem, & in deſtinatum vocationi ſuæ finem, auctus veros progreſſuſquè pendere (loquitur autem de ijs Ordinibus qui perfectionis alienæ curas cum propriæ ſtudio miſcuerunt) tribus maximè præſidijs ſtatuit huius operæ ſummam contineri. *Primum vita irreprehenſibili*. Deinde *ſcientia ſacra*.3.*authoritate prædicandi & Confeſsiones audiendi*, quæ ope cæleſtis gratiæ mirificè cupio in Societate noſtra, ſingula inſtaurari, vt ſit eius viuendi ratio nullius obnoxia reprehenſioni, ſacra vero doctrinæ, concionum, & confeſsionum miniſteria ſacro ardore conſtanter incitentur.

Atque vt ſeorſum libemus ſingula, ad primum quod attinet, duplex vitæ modus occurrit in Societate, exterior vnus atque communior, alter interior magiſque ſingularis, ſed ſuis vterque ita numeris abſoluendus vt culpari poſſint à nemine. Ac primum hæc vita quam debent Societatis homines viuere quanto finem ſpectat ſupra humana altius

euectum tanto ſe in Deum attollat neceſſe eſt,ne humanum in morem, fluxarum rerum trahantur illecebris, ſed tamquam homines *ſurgentes ex mortuis*, vt loquitur Apoſtolus extra mundum,& carnem poſiti,mentis oculum in Dei interna conſtanter defigant, vbi excellentiæ Dei perfectionumque immerſi
Pſal.30.21. oceano fœlix *in abſcondito faciei eius à conturbatione hominum* æuum agant.

Auth. imperf. Scitè dictum à quodam de Baptiſta, *Ioannes ſpecie homo, gratia Angelus*, hoc eſt hominibus nihil præter hominem præferens, mentis arbitro & inſpectori Deo, totus homine maior, & celſior. Baſilius item cognomento Magnus, *figura tantùm homo erat*, ac præter illam nihil humanum, nihil debile ſapiens,diuinam quandam alebat interius ac viuebat vitam, & hanc nobis beatus parens noſter S. Ignatius ad quam contenderemus, palmam propoſuit;nam *frequens erat*,ait hi-
lib.17.3. ſtoricus *Ignatij præceptum Angelos in rebus agendis imitandos*, atque vt ij ſolent ad recreandam qua æſtuant diuinorum ſitim, res creatas *quaſi Diuinitatis guttas*, ex perenni fonte immortalitatis adhibere, ſic oportere à nobis fieri: hæc noſtra hæreditas,hoc patrimonium à maioribus acceptum & fideliter poſteris tranſmittendùm, patrimonium cæleſte, hæreditas ſanctæ cum beatis,ipſoque cum Deo conſuetudinis,& arctiſ-

ſimæ

ſimæ familiaritatis:ob hanc iure noſtris inſti-tuti ſcopus hanc indidit nomenclationem vt *cæleſtes homines vocentur, qui ad Cæleſtem patriam & ipſi contendant, & alios qua-cumque poſſunt ope ſtudioque compellant maximam Dei gloriam ſemper intuentes*, quo vero id pacto? exigendum eſt paulo di-ſtinctiùs, & noſtris ex regulis ducendum. Polanc. hiſt. to. 2. lib. 2. n. 5.

Ex ijs enim hic noſter Dei præſentis adſpe-ctus interior à meditatione incipit matuti-na, quæ Deo ſolida debetur, vt ſi quo fors caſu aliquid illi deceſſerit, quamprimum integre reſtituendum ſit, neque committen-dum vt à nobis nocturnæ quietis tributum natura prius ferat, quam Deus precationis matutinæ, repetita illa identidem Tertullia-ni voce, *horrendum eſt diem ſine Oratione tranſire*. & hic illos velim obiter monere quos bene orandi habet difficultas nimis ſollicitos, minimè vero id eſſe difficile, ſi co-mes adſit precationi amor, quo velut arden-ti facula in Deum animus rapitur, nec fore ijs operoſum hanc flammam ſuccendere, qui B. Laurentium Iuſtinianum audierint breui-ter docentem *cum oras diligenter attende quis & cui, nec alterum diuidas ab altero*. De triumph. Chriſti c. 7.
fœlices plane nos, ſi ad veri ſolis nō ancipites radios harum modo vim ſyllabarū poſſimus cernere; *quis & cui*, quā cito nobis expedi-tiſſima euadat amandi ſimul ratio & orandi?

Porro hanc meditationem diei auſpicem ſequantur neceſſe eſt crebræ ad Deum adſpirationes quibus tota interpungatur dies. quis enim exul proculque à patria, patriam ex animo non vocet,nõ ſuſpiret, non exclamet cum S.Bonauentura,*quando te Domine diligam? quãdo te perſtringam?quando ad te perueniam?* quibus ſane mens ad amandum Deum validius inflammatur quam incomprehenſæ Trinitatis adorabili ſecreto magnis cogitationibus pertentato:& erant hæc precum iacula, quæ ſurſum torquebat Auguſtini pectus cum diceret *& tu Domine vſquequo, vſquequo Domine* procul abs te arcebis profugum? quamdiù mortis huius corpore teneor, affectionum improbarum vinculis compeditus? Sanctus verò Franciſcus Xauerius vſu longo ad Deum ſuſpirandi, etiam dormiens nocte intempeſta rumpebat has ad illum voces, *ò bone Ieſu, Ieſu creator mi! Deus cordis mei,& vita animæ meæ!* quibus orationum breuium veluti flabellis, charitatis ignem aſſidue ventilamus ne languens denique præfocetur.

S. Bonau.

Confeſs.lib.9. cap.12.

Tertiam nobis præſentem Deum retinendi artem, ac methodum commendant regulæ cum iubent nos illum *in omnibus quærere* quaſi dicerent, *aſpice quæ vides, & quære quæ non vides*. Facultates omnes ſuo pabulò gaudeant, corporis viſus creato & ſenſili;

Auguſt.

ſenſili; animi viſus increato,& ab concretione terrena libero, cuius rarum exemplar S. parens noſter de ſe nobis reliquit, cum cæli non tantum ac ſtellarum, ſed minimi floris aut plantæ humilis adſpectu *in Dei cognitionem, & amorem* confeſtim raperetur, idemque ab noſtris maximè optauit, vt omnium occupationum externam ſpeciem, vitali ſpiritu meditationis, reipſa perpetuo animarent, ac ſuis moribus Doctoris Sanctiſſimi Nazianzeni dictum exprimerent, *Religioſus totus ſit in Deo, & totus in proximo; totus in Deo, quia conuerſatur cum proximo propter Deum; totus in proximo, quia cum orat Deum commendat proximum Deo:* nec eſt perfecti Religioſi euidentius argumentum, quàm *ſi omnis eius operatio, & cordis volutatio, viua & iugis fiat oratio, & ſemper habeat Spiritum in Deum eleuatum, & oret in omni loco, in omni tempore, & in omni negotio.* Caſsian: Climac.

Quarta demum Diuinæ in omnibus præſentiæ colendæ ratio, noſtris item Regulis præſcripta, rectæ mentis ſeu intentionis aſſuetudine firmà conſtat; *non ſolum circa vitæ noſtræ ſtatum, ſed etiam circa res particulares omnes, in eis ſincere ſpectantes vt ſeruiamus, & placeamus Diuinæ bonitati propter ſeipſam;* etſi enim docet Theologiæ Angelus Beatorum hanc eſſe, non ſolum

in omnibus ſed ſeorſum in ſingulis conſenſionem voluntatis cum diuina, ſed huius in partem beatitatis non minimam religioſi etiam veniunt cum ipſi ſi minus ex Dei, at eorum ſaltem qui Deiloco præſunt ex verbo & nutibus, diuinorum indicibus motuum clare intelligant quicquid ab ipſis requirit Deus & nihil eos prætereat quod eius in gloriam non poſsint, & obſequium referre.

Ad hæc annuus ad exercitia per octiduum ſeceſſus, à ſeptima Congregatione omnibus imperatus, à ptoxima vero tam ſanctè Confirmatus vt ſtatuerit non poſſe cuiquam illius obligationem niſi à Prouincialibus remitti. hic vero vniuerſi, Patres, Fratreſq. mei! animo repetamus Societatis noſtræ principia his exercitijs inniti: fuere hac quadrati lapides quos ſapientia diuina per ſeruum ſuum Ignatium Societati fundandæ ſubiecit, ijſdemque præſidijs, eiuſdem conſeruationem ac fœlices progreſſus ſperare nos voluit, verumenimuero ne tantum nobis & tam affluens bonum aſſeramus ſolis, ne inuideamus alijs hunc Theſaurum, ſed communicemus cum illis quoad poterimus, in quo maiorē in modum cupio Superiores omnes probare ſe dignos parente Ignatio filios & libenter atque hilariter externos excipere cum ad recognoſcendas in exercitijs animæ rationes dierum aliquot receptum apud nos

ſe vel-

ſe velle ſignificauerint. Quia vero ad Societatis in ſpiritu profectũ & integritatem magnopere ſpectat, vt iſte Congregationum ſeptimæ & octauæ ſenſus in opus conferatur; notari mihi à Prouincialibus ſingulos, quotannis cupio qui exercitiorum penſum omiſerint, & addi cauſam ob quam omiſerint.

Ad interiorem Societatis vitam cuius præcipua capita curſim decerpimus, pertinet quoque ſtudium mortificandi ſui, tanquam orationis firmamentum idque varium ſane & multiplex, diuerſiſque regulis traditum, eſt enim carnis mortificatio, ſenſuum, affectionum, facultatum: Prior cum ſita ſit in quodam medio rationis ſeu prudenti mediocritate, non æqualiter omnibus incumbit, *ſed vnuſquiſque aſſumere poterit, quæ ſibi videbuntur cum approbatione Superioris ad maiorem ſui Spiritus profectum conuenire*, qua regula intelligendum eſt afflictationes externas præcipi velut ſubſidia, viaſque ad perfectionem ad quam vt iubemur ex inſtituti officio ſummam abſolutamque contendere (pro menſura tamen communicatæ nobis diuinæ gratiæ) ita plane vtendum quibuſuis afflictationibus monemur quæ ad parandam nobis perfectionem propoſitam neceſſariæ cenſebuntur.

Secundum mortificationis genus ſenſibus aſſignat regula, docetque nos *illorum por-* 19: Sum.

tas ab omni inordinatione cuſtodire, quæ vox (ab omni) ſcopum legis diſerte explicat, nihil enim patitur in vſu ſenſuum, niſi compoſitum, modeſtum, caſtigatum: non oculi iactum, non verbulum, non greſſum, motùmq. minus grauem, minuſque meditatum; eſt verò multorum querela, quæ vtinam falſa ſit, obſoleuiſſe illam Societatis noſtræ tantum olim laudatam modeſtiam, maximè verò in iunioribus, dicimurque domo in publicum iuſto ſæpius prodire, incedere per vicos licentius, greſſuque non adeò decenti; curioſius, quantum quidem apparet, inſpicere, & oculos ſpargere; interdum etiam inconſideratè exemploque non bono & loqui, & colloqui; eſtque planè mirum ex tyrocinio in Collegium miſſos tam repentè in alios at non in melius, mutari, vt toti mox vultu, conſuetudine, inceſſu diſcrepent à ſeipſis, iamque ipſis tempus colligendi, domandi, continendique ſui fluxiſſe videatur: momento exuunt illos ad vnguem exquiſitos mores & habitus, quos multo vix tempore ac labore in probationis Domo induerant, volunt ſpoliari non ſuperueſtiri vt ſenſu oppoſito aiebat Apoſtolus, putant emendatam collectioris, geſtuſque modeſtiam Nouitium ſapere, religioſam illam exterioris hominis conformationem cuiuis in Societate gradui communem, pœnè prius ab ſe ſe abdicant

quam

quam vllo in gradu conſtiterint cum circumpoſitæ virtutis cultum ornare ſcientiâ debuiſſent. Curioſitatem & immodeſtiam ſanctus Thomas ad otium refert. Otioſus enim apud ſe animus, foris quod agat aucupatur, ac dum principes ſuas vires intus habet ab opere vacuas, exterioribus vtitur,& mediaſtinis: magnum ergo ac potens in ſenſus imperium tenebit animus quem præſentis Dei aſpectus,& cogitatio conſtanter occupabit, mens enim probè conſtituta, corpus eâdem opera componit & præſentiæ diuinæ magiſterio doctus agere moderate,nihil præceps, nihil inconditum, hominum oculis obijciet.

Iam domitis ſenſibus non erit arduum affectiones pariter domare *adhibitis* vt ait regula *earum contrarijs*: nam vt eximie ſuo more à Kempis *tantum proficies quantum tibi ipſi vim intuleris & non amplius*. hinc illud ad noſtros Beato Xauerio ſolemne perpetuumque Conſilium *vince te ipſum*, cuius toties iterati cauſam denique rogatus, reſpondit id ferè quod olim in alio argumento Beatus Ioannes, *quia hoc tantum didici ex optimo parente noſtro Ignatio*. Ad hoc autem viam cenſebat breuiſſimam,ſui penitus introſpiciendi, cognoſcendique curam, ſui inquam nihili, ſuorumque defectuum. Quare noſtros Goam per litteras ſic alloquebatur, *vos ipſi vincite, ſummoque ſtudio ela-* Reg. 14.

borate vt vos ipſos penitus agnoſcatis, nam ſui cognitio, nutrix eſt diuinæ fiduciæ, & parens chriſtianæ humilitatis.

Supereſt mortificatio præcipuarum animæ virium, intelligentiæ, ac voluntatis, de
Reg. 31. qua leges noſtræ ita præcipiunt, *conentur reſignationem & veram abnegationem propriæ voluntatis, & iudicij habere.* hoc vero eſt animæ ſceptrum ſub Monarcha Deo, vno ac ſummo rege moderandum; huius autem pax regni ex concordia triplici ſeu obſequio coaleſcit: memoriæ ſcilicet erga intellectum, huius vero erga voluntatem, & voluntatis in ipſum Deum; eſt enim vt loquitur S. Theologus *memoria propter intellectum, intellectus propter voluntatem, voluntas propter Deum.* intelligentiæ tum rectè memoria ancillatur, cum ſpecierum quarum eſt theſaurus, delectu habito, noxias extundit, & abijcit; vtiles & caſtas tuetur & detergit, eius enim eſt *diuinas ſpecies, & puras imagines ſeruare*, atque ad præſtandum obſcuritatis expertem intellectum, valde idoneas: nec diſſimile eſt erga voluntatem intelligendi officium, ſuggerendis nimirum voluntati veris, & honeſtis opportuniſque bonis; cum ex S. Bernardo, is vere ſit ſapiens, *cui res ſapiunt prout ſunt*, non vt falſo iactantur & videntur. Quæ vtinam falſitas in religioſas domos non frequenter

ſubiret,

ſubiret, & repræſentaret pro magnis vilia & parua; pro vilibus grandia, & excelſa: caligat hic ſenſus, fatiſcit ratio, fidei ſplendore opus eſt, quæ intelligentiæ præluceat, mentemque ſubuehat, ad participandos veritatis æternæ radios. Quamobrem iurè parens noſter S.Ignatius ad intelligentiæ noſtræ inſtaurationem, conformari eam cum diuina iubet, cuius præpoſitos habemus interpretes, quod ipſum tantopere commēdat Apoſtolus, cum ait, *hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu*, hoc eſt veſtro vos, quoad poteſt, priuato iudicio abdicate; Chriſti de rebus iudicium, veſtri loco habete, cum Chriſto de illis & pretio illarum, ſublimitate aut nihilo cenſete; ò certam, & claram veri iudicij regulam! ò inuiolabilem ferendæ de vnaquaque re ſententiæ canonem! quo etſi oportet perſuaſiones omnium dirigi, ſed præcipuè noſtras quos ad propiorem Imperatoris noſtri Chriſti Ieſu imitationem, eiuſdem profeſſio nominis auctorat. atque his imbuti diſciplinis, non inuidebimus ſuas mundanis dignitates, & euanidas glorias, non tangemur pulchritudine rerum caducarum, nec ijs pretium niſi vile aut nullum ponemus: Sempiterna dumtaxat mirabimur, ſuſpiciemus tantum Cœleſtia, præter Cælum æternitatem, ac Deum nihil fixum animo geremus. Tandem voluntatis mortificationem

regulæ

regulæ ſtatuunt in perfecta eorum quæ pri-
uatim cupit repudiatione, ſuique abnega-
tione abſolutiſſima; cum enim voluntas præ-
dita ſit duplici facultate, cupiendi vna, alte-
ra exequendi; priori reiecta, ſecundam re-
tineat neceſſe eſt, amputatoque prorſus ar-
bitrio proprio, Diuinum exequatur. Tunc
vero cenſeri perfecta poterit, quaſi finem
adepta in quem à Deo condita eſt, hoc eſt
conſenſionem ſummam cum Dei voluntate
nihil aut volens, aut nolens, niſi quod Deo
placet aut diſplicet, ſeu potius nec volens
nec refugiens quicquam, ſed ex Dei nutu,
aut renutu ſuſpenſa, huic ſolam miniſtrans
executionem: hæc vero ſanctorum hæc bea-
S. Bern. tarum felicitas mentium, *quia voluntas Dei,
facta eſt voluntas eorum*, quid enim beatius
1. p. q. 31. quam *ſub diuino volito annihilari*, & in Dei
tranſite transformarique voluntatem? Tra-
dit S. Thomas & dubitat nemo, in concurſu
multarum facultatum, nobiliorem dignitate,
eſſe item agendo potiorem: ſic humanæ in
Christo naturæ ſupereminet diuina, ſic in
religioſis hominibus prærogatiuam ſemper
ferat diuina voluntas neceſſe eſt, huic atten-
datur, hæc obſeruetur arrecto ſtudio, & illuc
toto pondere, quò inclinauerit eatur.

Et hactenus quidem de interiori Societa-
tis vita, quibus parum profecto ſatisfiat, ſi
aſſeruentur ſolum regulis conſignata, niſi ad
rem

rem opuſque veniatur, tantum enim Donum quantum eſt hęc Dei pręſentia Societati cælitus inſpiratum, decet non modo ſummo in pretio haberi, ſed re ipſa & moribus diligentiſſimè à nobis ac integerrimè conſeruari: imitemur beatiſſimos Angelos mentis noſtræ totius conformatione, omnemque ab illa opinionem affectum & deſiderium quod terram & infima ſapiat ablegemus; quiſque ſe iam inde ab diei exortu in meditatione matutina holocauſtum Domino faciat, pergat idem ſacrificium ſui, procedente die breuibus orationum, ſed ardentibus flammis incendere; Deum quærat in rebus omnibus, omnium ſcopum atque fontem, ad illum omnia & ſingula referat, illum ſpectet, in ſummam ipſius gloriam honoremq. collimet, & de quolibet noſtrum illud Eſaiæ verè vſurpetur, *tantum in te Deus*, & pręter Deum nihil, in cogitationibus Deus, in deſiderijs, affectibus, conſilijs, vbique Deus; huc ſui frangendi ſtudium & mortificatio corporis, ſed multo magis perturbationum intimarum, totiuſque animæ conuertatur. Nunc vocat nos propoſiti ordo de externo Societatis viuendi genere vt dicamus, quod ex regulæ mandato, *iuſtas ob cauſas commune eſt*, & vitæ pauperum ſimile, ac eorum qui habent *pietatem cum ſufficientia*: pauperum eſt noſtra viuendi ratio, vitam pauperem

cap. 35.

Reg. 4.

rem profitemur, pauperes ſpiritu, ſtudio pauperes, & ſanctæ paupertatis, tanquam matris chariſſimæ amatores. *pauperem vitam degimus, ſed multa bona habebimus*, ſi tenuerimus quam debemus paupertati huic noſtræ, fidem integram & ſinceram. Paupertatem B. Bernardus, non in ſola ponit bonorum fragilium ſpoliatione, ſed in arcano illorum contemptu, & dulci amore paupertatis. hinc probe ſecernunt viri ſancti paupertatis vim ac naturam, ab eiuſdem fine: illa ſe fluxis à rebus abſtinet, hic ab earum etiam amore & deſiderio: ſed vlterius pergamus, & in tam graui argumento certa quædam capita diſtinguamus, quæ opto à cunctis accuratè in poſterum obſeruari.

Primum eſt bonorum renuntiatio quę nobis in ſæculo obtingebāt, in qua mihi videntur nonnulla peccari, illudq. imprimis quòd vltra quam debeat differtur: huic S. Ignatius
Exa. c.4. parens noſter tempus *ante ingreſſum in Societatem* aſſignauit, nunc recepto more, quòd in quartum annum ab eo tempore transferatur, haud quaquam noſtra, ſed Societatis cauſà fieri putandum eſt; vt fiat interea de ſuorum virtute & conſtantia certior. Cæterum primus eſt in via Dei greſſus, iuuatque mirificè ab ea quamprimum ſe ſe expedire, vt nocet pluſquam dici poteſt eam in longum reijcere. hoc ergo Chriſtus con-

ſilium præuerti omnibus volebat *vade & vende*, poſt vero, *ſequere me*, hunc eſſe ſignificans ad ineundam Chriſti familiam neceſſarium apparatum, cenſus omnis caduci abdicationem; nec poſſum capere quo pacto ſæculum tenaci propoſito, cum religioſa familia mutarit, qui ſæculi ſarcinam, & impedimenta geſtit nihilominus circumferre; multo minus qui poſſit iam Chriſto deuinctus, & cælo conſecratus, terræ libens affigi, & terrenis vinculis gaudere: miror vero & quidem maxime, egere aliquos monitore, imo ſuaſore ad exſtimulandum languorem, vt velint ea excutere; quin etiam monitos, tergiuerſari quoad valent, multaquè & varia excuſare. refellunt hæ voces religioſi propoſiti obligationem, & eludunt ſcopum atque conſilia prouidentiæ diuinæ, quæ ad hoc illos omnino vocauerat vt repudiato non fictè ſæculo ſibi vni ſeruirent: at enim hæ moræ ſanctioris commodi gratia nectuntur; differtur renunciatio, vt inde pauperum, vt Societatis inopia pingueſcat; ita nempe ſuam, nonnulli lentam hanc defendunt pietatem: ſed obſtat ſanctorum communis ſententia, præſtare videlicet eleemoſynæ paupertatem, & ſtatim Chriſti cauſa pauperem fieri, quam opes ſibi reſeruare vt in pauperes Chriſti ſenſim opportunius diuidantur.

Alter in eodem negotio error, eorum eſt qui abijciunt quidem ſua, ſed ex ijs ſibi aliquid ſeponunt, ſicque illa Deo volunt conſecrata, vt inde ſibi partem retineant, non placet hæc in domo Dei ſectio timida, & dif-
18, 22. fidens, itaque Chriſtus apud S. Lucam procul omnem tollit ambiguitatem, *& omnia quæcumque habes vende* inquit. qui dicit *omnia*, ne vnius quidem exceptionem indulget, cuiuſcumque generis illa ſint, pretio-
S. Hieron. ſa, chara, denique omnia tibi ſunt reſpuenda vt nudum Chriſtum ipſe nudus ſequare, hoc ita pleno & ſecuro animo qui præſtant,
S. Greg. hom. 30. in Ezech. *holocauſtum offerunt, imo magis holocauſtum fiunt.*

Tertium quoque ab ijs peccatur qui ſua erogant in cognatos non abſque fiducia recuperandi eadem ſi vſus veniat, aut eorum partem, certè contra mentem Saluatoris qui
ex cap. 4. 2. vt rectè animaduertit S. Ignatius nō dixit da Conſanguineis, ſed da pauperibus; & ſi dubium foret eſſentne potius agnatis tanquam pauperibus, quàm alijs danda, ad ſuſpectæ carnis & ſanguinis cauendam præuaricationem, iubet vnum, duos, treſue ab eo legi, præpoſitis aſſentientibus, quorum in hac re ſtare iudicio & ſententiæ debeat.

Quarto agnatis & propinquis, eſto, nihil detur, at Societati donabitur; verum definitis pro dantis arbitrio domibus ſiuè Col-

legijs,

legijs, in quibus aut ſedem ſibi fixurus eſt, aut iam animũ fixerit. quem modũ arguunt S. Patris noſtri verba illa *vt decet virum ſpiritualis vitæ ſectatorem*, obeundam hanc ſui ſpoliationem, exutis affectibus propenſionum priuatarum, ijſq. inter manus eorum qui regunt omnino permiſſis vt cui probauerint domui legata bona attribuant, modo ne extra eandem Prouinciam: quamquam Collegio cuipiam ſua relinquere, poteſt nonnullis interdum concedi, ſi tamen in eo non habitauerint. *p.3.c.1.n.4. fol. 113.*

Poſtremo anxiè qui agunt vt quæ Societati reliquerunt ipſimet per ſe adminiſtrent, indicium præbent animi nondum ab eorum viſco ſatis expliciti: nã facit triplicem Caſſianus renuntiationẽ *rerum, affectuum, & memoriæ*, complectiturque omnes Societas, repudiari ab ſuis volens non poſſeſſionem modo rerum & affectum, ſed ipſam quoque ex eorum mente perinde obduci memoriam, ac ſi nunquam illas poſſediſſent. His ita poſitis & eorum obſeruatione ad perfectionis religioſæ culmẽ tam neceſſario ſtabilita, omnibus quoad poſſum, & quoad ſingulos pertinet, commendo vt ſæculi bonis & ſeſe quamprimum & ex præfinita conſtitutionibus formula exuant; ſi qui tam citò non poterunt, procraſtinandi cauſas & impedimenta ad me ſcribant, parati nihilo ſecius exe- *coll. 7. c.4.*

qui, quicquid ſanctæ obedientiæ dictarit authoritas; ad hæc ſibi Prouinciales iniunctum intelligant vt ſi quos forte habuerint qui renuntiandi ſuis elapſo tempore, adhuc illa retineant, de illis & eorum negotio clare per litteras, accurateque me doceant.

Secundum caput in hac paupertatis quam inſtauramus ſanctitate, conceſſarum rerum in vſu verſatur, nec enim ſufficit ſæculari mammonæ nuntium remiſiſſe, niſi datis vtamur moderatè proculque omni ſuperfluitate: ac debet hic vſus frugi, acciſus, pauper rebuſque neceſſarijs præfinitus, vbique elucere, in veſtitu, in victu, in cubiculis; nuſquam ſuperflua, nuſquam curioſa, ne imagines quidem piæ pretij alicuius, quod conditioni pauperum, cuiuſmodi noſtra eſt, minus conueniat: nec vero hic aliquis ſuperfluitati obedientiam prætexat, dicatque ſe bona cum venia obedientiæ tales reculas habere; vereor enim hæc quam putant obedientiam ne magis ſit indulgentia; etſi autem nō poteſt perfectæ virtuti officere quod duce fit obedientia, ſed huic indulgentiã ſi attexas, & vtriuſque res geratur poteſtate, mirũ non fuerit aliquando illam abſolutæ virtuti repugnare. Quare hic ego Superiorum peruigil ſtudium magnopere requiro vt efficaci remedio quicquid laborauerit perſanetur; luſtrando quandoquè ſuorum Cubicula, & ſuperua-

peruacanea quæ deprehenderint nec paupertati noſtræ ſat conſentanea omnino amouendo.

Quam præterea in itineribus parſimoniam teneri vehementer velim; conuehuntur enim conquiruntutque commoditates nec noſtræ, nec ſatis ab ingenio ſeculi purgatæ, & diuerſoria non ita ſancto vt par eſſet exempli odore vaporantur. fuit magni illius in Societate operarij Patris fabri dictum. *proprium eſſe noſtri Ordinis relinquere in omnibus domibus & hoſpitijs quò diuertunt veſtigium aliquod ſanctitatis, vbique enim conſulendum hominibus eſſe, vbique plantandum, vbique colligendum, cum debitores ſimus, omnibus & vbique nos ſpectet Deus.* hiſt. lib. 3. n. 25. Caueatur inſuper ne itineris moleſtijs ſtata precandi iura & tempora negligantur, idque primorum Societatis Patrum imitatione, quorum, dum agerent viatores, prima erat precandi cura, *egreſſos hoſpitio armabat oratio, excipebat ingreſſos*, ex qua & illam hauriebant alacritatem, viarum incommodis & difficultatibus fortiorem *quia Chriſti amor & crucis ſitis quicquid erat aſperum mitigabat*. lib. 3. n. 3. & lib. 4. hiſt. cap. quam potens igitur erga Chriſtum amor ad perferendam Chriſti Crucem, *quo viuens Chriſto viuenti, moriens morienti, & mortua mortuo perfecta imitatione anima conformatur*. S. Bonau. in vit. S. Franc.

Veniamus ad tertium illud & ſupræmum munus veræ paupertatis non modo à ſuperfluis abhorens, ſed neceſſarijs etiam quoties Deo placuerit libenter carens; de quo iuuat audire B. Bernardum : *Fœlix*, inquit ille, *qui nihil ſibi retinet ex omnibus ; non habet foueam vt vulpes, non tamquam volucres nidum, non loculos quomodo Iudas, non domos, ſicut nec Maria locum in diuerſorio, imitatus perfectè illum qui non habebat vbi reclinaret caput* : cum totos quadraginta dies fundator noſter ſanctiſsimus à Deo precibus & lacrymis quæſiſſet quod genus paupertatis eſſet Societati præcepturus, peculiari tandem diuini Spiritus afflatu ſupræmum & altiſſimum præcepit; *quia Chriſtus Dominus Dux & caput eſt Societatis*, quam proinde ad ſummam Chriſti paupertatem decebat collimare: hæc vero qualis extiterit nemini eſt obſcurum, auerſatus eſt Chriſtus diuitias, ſæculi commoda refugit, adamauit è contrario in cura corporis, cibo, veſte, domo ſummam inopiam continuaque incommoda; natus præſepi excipitur, & nudus in cruce moritur : Debet hæc nobis ob oculos, inquit S. Benardus ; paupertas verſari *quam Chriſtus docuit verbo, conſecrauit exemplo*, ab cuius exempli norma longè profecto abſunt, qui paupertate gloriantur, ſed eius moleſtias fugiunt ; paupertatem amant,

Epiſ. ad Henric. Archiep.

illius

illius comites, procul ab ſe excludunt; Chriſtum non ægrè, pauperem ſequantur, ſed hac lege ne cum Chriſto, vel neceſſarijs; vel opportunis careant; ſolius nominis ſpecie pauperes; vacuæ atque vmbratili paupertati inanem titulum prætendunt. Certum quidem eſt ipſoque diuini Spiritus oraculo confirmatum quod poſt, S. Bonauentura aſſeruit, *nuſquam & numquam legi aliquem volentem in paupertate Deo ſeruire, pro defectu cibi fame peryſſe*, ſed nec dubium eſt Deum ad augenda ſuorum merita probandámque mortalibus eorum virtutem, interdum ad tempus quotidiana ijs alimenta vel ex parte, vel planè ſubducere; relictis ſolum quæ ad mortem arcendam ſufficiant; trahendamque per miſerias; & dolores vitam iudicio ſenſuum infœlicē; hac tamen exercita tot malis, & tam inuiſa hominibus vita, nihil pretioſius nihil optabilius apud Deum; per hanc enim Chriſto; Angelis, & Deo ſimiliores efficimur. *qui paucis contentus minimis indiget ſimilis eſt Deo qui nullis indiget* nec in eo tantum perfectæ virtutis rationem Apoſtolus ſtatuit; vt quis nouerit *abundare* ſed vt pariter *ſciat penuriam pati* quæ teſte B. Gregorio *ars eſt mirabilis; & toto cordis adniſu diſcenda*, Deum affluentibus rebus, & in penuria æquali animo laudare, gratum eſſe cibos & neceſſaria ſuggerenti, nec mi-

S. Chryſo.

Philip. 4.

Hom. 16. in Ezech.

nus gratum eadem neganti; ac ſe vtrobiqne patienter, tranquille, alacriter habere. hoc vero eſt ex eodem ſancto pauperem ſpiritu reipſa eſſe, *qui alimentorum inopiam ſine murmuratione tolerat;* & penuriam quamlibet placide exſorbet; cuius vtinam virtutis pretium & cultus ſemper in nobis omnibus vigeat, ſed in profeſſis Domibus præcipuè vbi ex Pontificum bullis viuitur mendicato incertiſque eleemoſynis: ex quibus ſequitur, in his domibus qui degunt eſſe victu incerto, & vario contentos, aliquando etiam diminuto, & mutilo debere; ſtatuitque S. Igna-
P.6.c.2.n.6. tius, *vt nullus de Societate debeat, nec poſſit quemquā ad eleemoſynas perpetuas domibus vel Eccleſijs eiuſdem Societatis relinquēdas incitare;* ne quid videlicet earum fiduciæ, ſpem illam reſtringat quam habemus in ſinum diuinæ prouidentiæ proiectam. Ex his confici aio paupertatis noſtræ faſtigium ambienti altius aſſurgendum, ac poſt reiecta ſuperflua neceſſarijs etiam vbi occaſio & proximi ſalus Deique gloria tulerit abſtinendum.

Quartum & vltimum monitum excoquēdæ ad purum paupertatis, in candore affectus & ſynceritate animi ſitum eſt, vſum enim eſſe, vt diximus, rerum opus eſt neceſſariarum, reiectis ſuperfluis; incertum nec de eleemoſynis ſecurum; addo nunc ab omni affectus

intem-

intemperantia ſeiunctum, quem ſtatuæ ſimilitudine S. Pater Ignatius exponit: *in ijs quæ ad paupertatem ſpectant, quantum ad rerum* inquit, *vſum, quaſi ſtatuam exiſtimare* me debeo, veſtium, inquam vſum, cubiculi menſæ, miniſteriorum denique omnium, nullo mearum, ſenſu, affectu, amore peculiarium rationum, ſed vnius tantũ obedientiæ, & gloriæ diuinæ. Video quanta ſit doctrinæ huius excelſitas, quantiſque ab terra ſpatijs neceſſe ſit euectam animam meditationis impetu, & ardore intra cœlum ac cœleſtia penetraſſe vt eam aſſequatur: non excedit tamen inſtituti noſtri metas, ab Societatis ſpiritu non diſſentit, non deſtituitur diuinæ gratiæ prompta manu porrectaque ad opem, ſi accipimus, ferendam. auctor erat Paulino Hieronymus; *nihil in ſe mediocre eſſe, contentus eſſet, totum ſummum, totum perfectum deſideraret*, non diſpari animo S Parens noſter ſummum nos virtutis apicem ſpreta vult prenſare mediocritate, & diuino fultos auxilio perfectiſſima conſectari. illic ſtatua hæret vbi erigitur, nec illouersùm vbi olim eſt ficta, magis quam aliò propendet, ſic noſtrum quemlibet par decet omnem ad locum, domum, collegium, habitationem facilitas, & æquabilitas: nec maior in patriam quam in aliam partem propenſio: *omnis terra & nulla terra nobis patria eſt* ad omnes

in eius vita.

Naz. orat. 28.

voca-

vocamur, vbique gentium, pari ſtudio iuuandos: vnum, ſi qua nobis patria, Cælum eſt, vbi nos pater verus, vbi paterna hæreditas expectat: omnis æquè nobis cognata natio, gens omnis vna eſt; adoptionis diuinæ iure; fraternitate Chriſti Ieſu; patrimo-
Rom. 10. nij æterni promiſſionibus conflata; *non enim eſt apud Deum diſtinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium*. Dicamus igitur cum S. Bernardo, *vnum ordinem opere teneo, cæteros charitate*, vnius reuera nationis & patriæ; affectu & animo; omnium, omnes amans; omnes apud me tum magni faciens, tum apud alios dilaudans: fuit inuentum patris noſtri Fabri admodum excellens ad expellendos ab animo rerum affe-
hiſt. lib. 3. n. 3 ctus caducarum *quotannis rebus omnibus quæ præſertim ad victum & cultum pertinent funditus exuebat ſe ſe, nihil vt ſe ſpoliatius, nihil eſſet egentius*, & memini hoc idem in Societate paucis retro ab annis ſolemne fuiſſe; certis præſertim occaſionum magnarum celebritatibus quales ſunt votorum inſtaurationes; ac velim plurimum tam ſanctum morem à Superioribus reuocari, tradiq. illis quicquid ſuperflui apud ſe quiſque repererit: hic erat Fabri ſanctiſsimus ambitus, *nihil vt eſſet ſe ſpoliatius, nihil egentius*, & abſolutiſſimæ egeſtatis integritate nemini cederet, ah! ſi talis Societatem
ardor

ardor æmularionis ſanctæ peruadere incipiat! ah ſi peiorem quiſque, deteriorem, viliorem, cellam, veſtem, occupationem, ſibi depoſcat & ambiat! tunc veræ in noſtris cœli diuitiæ eminerent, tunc Chriſti odore mortales omnes afflarent & traherent, tunc pulſis querelis ac diſſidiolis, pietas, ſanctitas, exempli efficacitas regnaret. Et hæc de priore Religioſi Ordinis promouendi, tuendique præſidio ex S. Bonauentura initio huius Epiſtolæ laudato, irreprehenſibili nempè vita:

Secundum erat ſcientia ſacra, ſacram enim oportet Societatis eſſe ſcientiam, ſiue ex ſubiectá materia, vt eſt Scripturæ ſacræ ac Theologiæ ſtudium; ſiue ex ordine ad Deum, vt quæ in philoſophicis, Mathematicis, & Rhetorica verſatur. Prima Societatis curam per ſe rectà ſpectat, altera ſolum vt ſecundaria & ancilla priori famulatur, mentem enim noſtram poſt ſui dedicationem iam Deo ſacram, dumtaxat ſacris occupari eſt æquum, nam quid monſtri hoc foret deuotum altaribus calicem, vt fecit ſacrilegus Balthaſar, in vſus profanos redigere? atqui haud paulo ſit grauius religioſi viri mentem fœdari rerum inanium cognitione curioſa. iam ſi B. Auguſtinum roges, quid ſit impulſu vanitatis dare operam litteris; quid ſe ipſum, ac ſuam inanem gloriolam in ſcien-

tijs

tijs venari? reſpondebit is, eſſe aliud nihil quam *in ſacro vaſe diabolo propinare*; in vaſe inquam ſacrorum cultui, & diuinis honoribus mancipato, potum dæmoni præbere. Si quæras quid ſit libros euoluere parum caſtos? libros mali dæmonis inſtinctu conceptos, lucubratos, & eiuſdem typis in lucem effuſos, ad indicandam hominibus pereundi viam, parum ſcilicet iam notam parumq. præcipitem? audies iterum hoc eſſe in vaſe ſacro, diabolo propinare, laborare de oblectando dæmone, & contriſtando quoad poteſt Deo. nam ſi eſt in ſæculo etiam, talium librorum damnanda lectio, quanto deteſtabilior in religioſo viro, in homine de Societate, in ſacræ paginæ ſtudioſo, & conuerſioni animarum propugnandæque fidei, ex inſtituti ſui munere addicto? Nec valet excuſatio linguarum, & eloquentiæ, quorum inde nitorem ſe petere nonnulli cauſantur, etſi enim eſt ex eodem Sancto elegantia illa præſtans, & *calix aureus, ſed plenus veneno & vitio erroris*. ne labri ſplendor ſua luce oculos perſtringat, liquorem attende morticiferum, perniciem cogita variam, quam ſecum in animum inducit, & hanc præ cæteris maximè timendam, quod piorum in eo ſaporem librorum miſerè extinguit. Siniſtri iudicij eſt in ægroto optimorum ciborum faſtidium, ſed multo peioris in religioſo nauſeans

Confeſſ. lib. 4. cap. 15.

ſeans ad ſpiritualia ſtomachus, & vice verſa profana appetens, manifeſto planè vitiati palati argumento, hoc eſt deprauatæ voluntatis. Accedit rerum piarum tædium, & ingens de illis ſermocinandi difficultas ex eadem orta ſolutiorum ſcriptorum lacuna: lingua enim, cordis, vt dici ſolet, inſtrumentum, niſi eius motu atque imperio nec mouetur, nec agit; æquis fere hæc duo incedunt paſſibus; & vbi cor hæſerit, eo mox aduolat & lingua; ſi mens cum Deo auidè orando colloquetur, acquieſcet & lingua ſanctis de illo ſermonibus ſiue in communi cum noſtris conſuetudine, ſiue cum externis. de quo appoſitè ſuccurrit illud Angelici Doctoris, debere Religioſum hominem de Deo ſemper, aut cum Deo loqui. Qua in re certum eſt peccari aliquid à noſtris, quod pro eius momento ſanè graui penitus corrigi vehementiſſimè cupio, & huc omnium operam curaſquè conferri. Initiauimus Deo mentem, ipſo in Societatem ingreſſu primo, linguam illi pariter dedicemus: *ò quam pulchrum, quam diuinum per diuinarum rerum commemorationem in Dei amorem perpetuo excitari*. Beatorum certe palæſtra ciuium, & primorum lingua Societatis Patrum, eiuſq. præcipuè ſancti Fundatoris quem cum vulgus vt fit, inter fabulandum peculiaribus notis vellet deſcribere, illum, aiebat, qui ſem- Naz. orat. 26

per

per in Cœlum ſuſpicit, ſemper in ore Deum habet: mentem nimirum in cœlis agentem lingua facilè ſequebatur, nec poſſe videor tacitus præterire, quæcumque hic errantur, magnam partem Superiorum errore eueni- re. Primum enim ab ijs exemplo agendum eſt, inducendi ſunt in communem recreatio- nem de rebus diuinis, & vtilibus ſermones; peruincendus eſt pudor quidam nimium hu- manus, eique præferenda Societatis, ac pro- feſſionis noſtræ officia; deinde procul omni- no ablegandus gazularũ abuſus alicubi per- peram admiſſus ad paſcendam nouis aut re- bus, aut fabulis quorumdam curioſitatem, non abſque culpa, & detrimento pietatis, quare huc tandiù erit admonitio ſalutaris & correctio admouenda dum emendatio con- ſequatur. Tertio loco inuigilent noſtris ex- ternos viſentibus, & percunctentur eorum ex ſocijs, num pios ſermones cum ijs miſce- re conſuerint, ſi ſecus facere compererint, pro ratione ſui muneris, in poſterum mo- neant: tantam ergo peſtem molliorum au- ctorum lectitatione, in animos ſpirantem, omnes quidem, in viſceribus Ieſu Chriſti ro- go vt aperto bello eos inſectemur, parumq. nobis ſit illos non legere, niſi etiam à nobis eos quam longiſſimè amandemus; iuniores tamen ſcholares noſtros ſingulariter allo- quor, & volo ab ijs hanc meam adhortatio-
nem

pem alte in animum demitti, eorum vero Superioribus iniungo, vt ſi quem (quod abſit) deprehendant iſtiuſmodi libros lectitare vel apud ſe habere; omni confeſtim excuſatione & interceſſione poſt habita, in tyrocinium remittant, hauſturum illic religioſæ virtutis ſpiritus quos nondum eatenus deguſtauit.

Præter ſcopum autē noſtræ ſcientiæ præfixum, obedientiam nimirum & Dei gloriam, in quæ totus ſcholarium noſtrorum contendit labor, decet ipſa quoque executione, noſtra litterarum ſtudia ſacra eſſe, neque extra Deum ſed intra peragi: vt enim pulcre adnotauit, & pulcrius præſtitit, nunquam ſatis laudatus Franciſcus Suarez, in noſtris quos alit verus Societatis & viuidus inſtinctus, *mēs non abſorbetur quia ad Deum ſæpius recurrit, nunc intentionem in illum renouando, nunc auxilium & lumen petendo, nunc vero de veritatis intelligentia gratias agendo* neque enim par eſt ingurgitare ſe quoddammodo totum litteris hominem, atque immergere, quaſi nihil nobis præterea melius quo tenderemus ſupereſſet: ſat eſt ijs ad tempus ſe animus commodet ex obedientia definitum, interea vero in ſtudendi finem oculos idemtidem conijciat, patrem luminum adoret & inuocet, ſtudendi laborem in Dei gloriam reflectat.

lib. 5. cap. 3. n. 12.

Verum

Verum vt ad claudendam epiſtolam quandoque accedamus, exequamur iam tertium caput ex S. Bonauentura huc tranſlatum de Miniſterijs Societati maxime proprijs, ſi prius pauca de aliænis ab ea dixerimus. cum enim ſit ſcopus in quem contendit Societas diuinus, & ad ſalutem pertinens animarum, quicquid extra hanc occupatur, ab inſtituto pariter exertat, vt ſunt negotia ſæculi, & temporalibus de rebus, quæ nos ab eo fine vel retardant, vel omnino auertunt. habemus quoad hac Saluatoris exemplum celebre cum rogatus à quodam vt ortam inter ſe ac germanum de bonis extraneis litem diſſolueret *quis* ait *me conſtituit iudicem inter vos*? quaſi diceret, quo pacto id officij ad me ſpectat? quid vero mihi cum negotijs temporarijs, qui ſum ad æterna huc deſtinatus? quam deceret noſtros ſimili reſponſo, non diſſimiles curas cum ingeruntur eludere: quis me conſtituit iudicem inter vos? tunc certe verius Ieſu Societas dicerentur, Ieſum non modo appellatione, ſed rebus ipſis imitati: confirmat hoc item his verbis S. Ambroſius, *terrena declinat, qui propter diuina deſcenderat*, quæ nobis eodem iure conueniunt, in religioſum ordinem, *propter diuina* cooptatis, quin imo ob vnum *omnium diuiniſſimum* hoc eſt ſalutem animarum, igitur nobis *declinanda ſunt terrena*, noſtra non ſunt, aliæna ſunt, &

eorum

eorum fugam, metuendum non eſt hominum querimoniæ ne ſequantur, quibus eo modo plus multo damus quam exigant vt in Chriſti facto S. oſtendit Auguſtinus, *petebat homo hic mediam hæreditatem in terra, Dominus offerebat totam in cælo, plus dominus dabat quam ille poſtulabat.* & addens reſponſo ſuo Chriſtus fructuoſiſſimam circumſpectionem, *Cauete* inquit *ab omni auaritia*: vbi S. Auguſtinus, *non eſt ſolum auarus qui quærit aliæna, ſed etiam qui cupidè & auarè appetit ſua.* quo ſancti viri documento vellem procuratores noſtros fieri cautiores: quamquam enim interdum æquum petunt iureque legitimo, ſed auarè & cupidè videntur petere, & auiditatem quamdam nimiam præferunt quæ ſæculum redolet; ſint ergo ſuæ tenaces regulæ, cum iubet in agendis rebus, *memores eſſe inſtituti Societatis quod profectui animarum inuigilat.* quo valde ſerio monentur, ita eſſe temporalibus conſulendum ne qua fiat cæleſtium iactura; ita curandam rem familiarem Collegiorum ac Domorum, ne ab re ſacra & Societatis muneribus homines auertant: quare admonendi, corrigendique erunt, & vero etiam officio mouendi ſi quos in re tanti ad Societatis inſtitutum, errare Superiores animaduerterint. Hanc autem Chriſti diſciplinam eximie nobis S. Ignatius in ſe ipſe expreſſit, cum recens ad Deum conuerſus ita confeſtim mentem cœlo affi- Serm. 196:

xit vt quicquid cum proximis ageret moueretque, illuc omnia traheret ac referret. Sui vero huius conſilij ignaris, ſi quando ad ſe temporaneæ opis gratia ventitaſſent, maiorem quandam deferebat, cœleſtem ſcilicet ſempiternamque apud Deum, idemque ab noſtris adeò exigebat, vt Conimbricenſis Collegij Rectorem cum Romam ad neceſſariam litem aduenifſet non ſit paſſus in Domo Profeſſa degere, ſed, Societatis Collegio nondum in Vrbe tunc erecto, illi apud externos diuerſorium aſſignarit; tanti cenſuit fundator ſanctiſſimus Societatem profeſſam ab omni ſe ſpecie atque vmbra cupiditatis abſtinere. à quo ipſius primæuo candore, nimis palam eſt nos aliquantulum deſciuiſſe, vnde illa fuit Summi Pontificis Innocentij Decimi ad Congregationem Generalem paterna, ſed iuſta commendatio, *Præſcribenda ratio qua omnes Patres Societatis ſe rebus ac negotijs ſæcularibus non immiſceant.* cui venerabunda & ad obſequendum paratiſſima Congregatio reſpondit: *vnum eſſe omnium Patrum ſuffragium, & votŭ Congregationis vniuerſæ vt noſtræ Societatis homines abſtineant à negotijs ſæcularibus, à noſtris Conſtitutionibus alienis*, hinc vero conſtabit quanta in futurum ſollicitudine noſtris cauendum ſit, ne vlla ex cauſſa, ac ne Principum quidem commendatione, atque voluntate temporalia, & ſæcularia attingant:

tingant:

tingant; & aduertant qui præſunt, quid ſibi Congregatio iniungat, contra violati decreti reos *Superiores curabunt*, inquit, *ne transgreſſores impuniti maneant*. quam in rem ſi parum valebunt remedia quæ communiter adhibentur, erunt etiam locis atque officijs mouendi.

Excluſo ſæculo eiuſquè negotijs ab ſcopo noſtro aliænis, veniunt ſacra & diuina, noſtro amore, ſtudijs, & labore digna, & propriè noſtra, quæ inſtituti formula recenſet à Summis Pontificibus approbati, ſuntq. *prædicatio, lectio, ſpiritualia exercitia, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutio, ſacramenti Confeſſionis & aliorum adminiſtratio, & reliqua*. Poſſunt vero hæc bifariam exerceri, vt S. Parens noſter Ignatius tradit, vel diſcurrendo per varias Orbis partes, ciuitates, & pagos, eaque confeſſionibus & concionibus excolendo; vel hærendo in Collegio aliquo ſiue domo *vbi magnus diuinæ gloriæ prouentus ſperatur*. prius tamen illud, Societatis eſt peculiare quam maximè, illamq. velut natiuus character quarto profeſſorum impreſſus confirmatuſq. voto ab ordinibus alijs diſtinguit. cuius præſtantiam operis fructuſq. immenſos & neceſſitatem vtinam valerem ſciremq. pro dignitate exponere: ac neceſſarium quidem non arbitrarium hoc eſſe Societatis munus, ex Societatis ipſius mente colligitur nam *ſcopus*

Iul. III. fol. 61.

par. 7.

ad quē tendit Societas eſt, diuerſa loca peragrare prædicando, confeſſiones audiendo, &c. diuina gratia aſpirante, ſcopum autē ſi tollis, tollis vnà Societatis noſtræ finem, hoc eſt ſalutem animarum. Nobilitas vero huic ministerio vnde conciliari maior poteſt quam à Chriſti Domini eiuſq. diſcipulorum magiſterio & exemplo? Curandum ergo, quoad fieri poteſt in miſſionibus; vt noſtri æmulentur Apoſtolos, & ex voto ac mente regularum, *bini aſſocientur, pedites iter faciant, ex eleemoſynis viuant; ad hoſpitale diuertant.* Et præter hæc etiam à ferendis ſecum pecunijs abſtineant, Dei fiducia pro certo liberalique viatico contenti. quod fuit S. P. Noſtro Ignatio in ſimilibus expeditionibus inuiolatum, in ijs enim *nullum habebat pecuniæ ſubſidium niſi fidem ſpem, & charitatē in Deum:* nec itineris labor, nec cibi tenuitas, nec incommoda ſomni capiendi, moleſtiora videbuntur circumferenti ſecum diu, noctuq. viæ ſuæ indiuiduum comitem Chriſtū Ieſum de Cruce pendentem. ò ſecurum quantumuis longinquæ peregrinationis viaticum! ò ſuauiſſimum fami noſtræ cibum! ò impenetrabilem hoſtibus, & inexpugnabilem clypeum! & ſuadet prorſus neceſſaria ratio, vt prædicaturi populis Chriſtum crucifixum, eumque vi diuinæ gratiæ valida, illorum altè animis impreſſuri, cum eo verſentur, illum audiant, & ab eo diſcant Legationis ſuæ propoſitum

Conſt. par. 7. 1. 1. reg. miſſ.

ac mo-

ac modū;talis vero fuit ex S. Auguſtino Pau- Ciuit. lib. 14. cap. 4.
lus Apoſtolus *crucifixus cum illo, doctus ab illo, & glorioſus in illo.* nec ſiſtet operis tanti quæſtus in ijs ſolum, quorum ſaluti conſuletur, ſed magno cum fænore in ortus redibit, in operarios nempe ipſos; remetiente nobis Deo quam contulerimus in proximos menſuram: neque oberit arcanis virtutum animi progreſſionibus iſta cum proximis externa actuoſaq. iactatio, ſi cōuenienter miſſionum regulis ineatur, quarum vel vna obſeruatio accurata facilè omnia ſupplebit præceptionum documēta, quæ poſſunt à quouis in hac materia optari: facto ſolum eſt opus, reſtatq. ad extremum vt admoueatur huic manus, idq. imprimis ab ijs qui regunt, quos & præ cæteris magnopere adhortor vt illud depromant in animarum lucrum ſtudium charitatis quod vocationis noſtræ ſpiritui debetur, incitando, iuuando, prouehendoq. ſuorum operas in tanti Miniſterij ſanctitatem, imo & facem illis exempli ſui præferēdo quoad gubernationis munia patientur. Reliquos autem Sacerdotes (vt olim à P. Claudio ſanctæ Epiſt. 9.
mem. epiſtola quadam ad Prouinciales ſtatutum fuerat) exceptis quos vel infirmitas, vel impedimentū aliud merito excuſat, quotannis ad aliquod tempus vt vacent excurſionibus miſſionum, quod non paruo ſuo proximorumq. compendio ſunt facturi, ſimul daturi liberum pœnitentibus acceſſum ad alios

ſi vo-

Inſtr.4.ſ.27. ſi volent confeſſarios. Extra vero longiuſculũ hoc tẽpus, poſſent per biduum triduumuè vicina luſtrare, ac redire in diem Dominicũ, conſuetam operã templo noſtro daturi. Placet quoque multũ eiuſdem P. Claudij Aquauiuæ cogitatio ſapiens, vt in Prouincia qualibet Reſidentia deſignetur vbi octo de noſtris, Sacerdotes ſex, adiutores duo, eleemoſynis alantur, quo pacto ſolet in Domibus Profeſſis, & alterni ad fructificandum in agro Domini, exeant; horum deinde in locum alij ex ijs qui in Collegijs cõmorantur ſuo tempore ſuccedant qua in re Prouinciales enixè cupio diligẽtius explorare quid in ſua cuiuſque Prouincia præſtari valeat. vniuerſos autem miſſionibus occupatos eius volo ſerio meminiſſe quod eſt à Præpoſitis Generalibus ordinatum, ne vllo modo tractent, vel aurem tractantibus præbeant de nouorum Collegiorum fundationibus: at ſi de nouis profeſſis domibus proponatur, huc dabunt de eo litteras, & reſponſum ad illas expectabunt.

Epiſt. 9.

Nec eſt præterea quod huic epiſtolæ adiungam, nam *ſi hoc fiat ſufficit* ad Societatem renouandã, reſtituendamq. colori priſtino ac vigori. Verum vt hæc in auras non vaneſcãt, ſed factis rebuſque ſanciantur, etiam, atque etiam deſidero vt in cultu Beatiſſimæ Dei matris ſuam ſinguli inſtaurent, expoliantq. pietatem; nam ſi Ieſu tota eſt, titulo ſingulari ac peculiari nomine Societas, totã quoque

que eſſe Mariæ neceſſe eſt, ſperareq. ab ipſa patrocinium, atque opem ad implendam vocationis noſtræ, ac Apoſtolici propoſiti menſuram; ne quæſo tot patrum Sanctus ardor per tot moleſtias, totque diſcrimina longiſſimorum itinerum ad Societatem, primæuo ſplendori, ac pulchritudini reddendam mira cônſenſione cōgregatus, ſpebus excidat ſuis. *Chriſtus Ieſus heri & hodie*, & nunc æque paratus ad porrigendam manum volētibus. cogitemus orò noſtrorum defectuum, næuos quoque ipſos, Eccleſiæ Dei quantopere ij obſint, ſaltem enim vel arctant vel diù remorantur ptodigam eius charitatem, ne profundat vt vellet opum magnarum præſidia. nobis ad heroicos labores, ſeruandaſque ex inſtituto noſtro animas perneceſſaria.

Altiſſimum eſſe virtutis faſtigium ad quam ſumus à Deo vocati, neminē puto dubitare; magnis ergo nominibus, & iure maximo cogimur ad duplicandū greſſum, incitandumq. in illam iter, aut, quod hinc ſequitur, ad diuinæ offenſæ metum anxium & grauem, ſi horum obligationem noſtrà inertia decoquamus. In ſe quiſque penitiùs ſubeat, videat quod agit, & quod valet, & quoad Societatis miniſteria, numquid præterea valeat, nec ſe naturæ viribus circumſcribat, ſed aſſurgat ad validiores diuinæ gratiæ, ijſque confiſus attendat, quibus occupatur an ſatis ad ſocietatem ea pertineant; ac ſi pertinent quidem,

inue-

inueſtiget tamen officij noſtri modum & amplitudinem num ſatis expleant: qua docemur
1. Cor. 7. 21. *impenſè in noſtram proximorumquè ſalutem, & perfectionem incumbere*, id eſt omni diligentia & ardore. Sed iam cum apoſtolo claudamus *tempus breue eſt* quod nobis ſcilicet ad viuendum reſtat, paucorum fortaſſis annorum, ſorſitan nec dierum; & imus tamen in æternitatem nullo fine claudendam; *reliquum eſt vt qui vtuntur hoc mũdo tanquam non vtantur*, & viuant quaſi non viuerent, viuant tanquam ſibi, carni & ſanguini, totique ſæculo mortui, Chriſto vni viuentes eiuſque gloriæ, perfectioni ſuæ atque aliænæ
Sap. *hoc eſt enim omnis homo* hoc vnum hominis propriũ ad Dei gloriam conditi & in Societatem eius ad conuerſionem hominum vocati.

Et his hac prima Epiſtola decurſis, ad extremum ab omnibus peto non modo vt ſuis ad Deum precibus fulcire debilitatem meam pergant, & impetrare à Domino Deo ne impoſito muneri parcè reſpondeam, ſed iuuent etiam admonitione atque conſilio liberæ charitatis, & communis boni ſtudioſæ, ſi quando, quod nimis pronum eſt, officio decro, cum ſimus omnes ad maiorem Dei gloriam conducti, eademq. perfectionis noſtræ proximorumq. obligatione. Et gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſemper in cordibus noſtris. Amen. *Omnium in Domino.*

Vincentius Carrafa.

Romæ, Typis Manelphi Manelphij. 1646. *Superiorum permiſſu.*